



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &
Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

5. Nihil esse tam minutum, quod Deus non videat.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45653

rum, in omni loco oculi Domini contemplantur bonos & malos. Iterumq; Omnes via hominis patent oculis eius, spirituum ponderator est Dominus. Et de Christo ait Apostolus: Discretor (Græcè *νεύτης* iudex & censor) est cogitationum & intentionum cordis, & non est vlla creatura inuisibilis in conspectu eius. Sexcenta hoc genus afferri possent. Scilicet hic est ille oculus scepro innixus, hic Ostris, seu oculatus baculus Ægyptiorum: hæc virga vigilans, quam vidit Ieremias, qua & dominium, & omniscientia Dei significabatur: hoc est, quod Dominus super Cherubim propitiatorium, quasi sedem & thronum curulem Dei, sustinentes federe dicitur: indicatur enim, Dominum sapientissimos spiritus Angelicos longe scientiâ transcendere, eosque velut pedibus premere. Quin & Græci *θεὸν ὁρᾷ ἔ θεῶν*. hoc est, à videndo nominant. Si enim sapiens est, necesse est, illum res non iam tantum per experientiam vel per effectus, vel per causas propinquas & creatas, sed per summas & primas etiam causas scire. Prima autem causa est ipse. In se ipso igitur, tanquam in suprema causa efficiente, & fine, & exemplari, omnia cognoscit. Tam clarè ergo omnia cetera cognoscit, quàm clarè cognoscit seipsum; alioqui cognitio illius non esset diuina, nec infinitæ perfectionis; neque esset ex vi essentiæ diuinæ.

Quòd si quilibet opifex operis sui notitiam exactam habet, cur Deus non perspiceret omnia, quæ in mundo existunt vsque ad minutissima quæque, siue partium, siue colorum, siue figurarum, siue conditionum, siue motuum & actionum, cum, præterquam quòd in se omnia peruideat, etiam omnibus intimè sit præsens? Nullum igitur hominis opus, nullum verbum, nulla cogitatio illum latet; audit & susurros, & susurrones: intuetur omnia cordium arcana, penetrat ipsos fines & intentiones; nulla illi potest occultari fraus, nulla ab illo ignorari mortalium virtus. Omnia hæc ab æterno, & in æternum nouit, noscet.

Quocirca meritò animus peccatoribus compauescit, videntibus, se, vbicunque, & quandocunque peccant, deprehendi. Hinc sudant, & quasi in Laconicâ cellâ, æstuât, quoties aliquid ausi sunt. Virtutis autem amatores, aquam sibi affundi sentiunt, quoties cogitant, labores suos non esse, ante Deum, in obliuione, ob quos ab ingratis hominibus sæpe paruum mercedem reportant. Ille vocat ea, quæ non sunt, tanquam ea, quæ sunt; si vocat, id est, conspici-

Prou. 15. 3.
Prou. 16. 2.
Hebr. 4. 12.

Macrob.
lib. 1. cap. 21.

Ierem. 1.
Exod. 15. 18.

S. Dionys.
de diuin.
nom. cap. 7.

V.

VI.

Rom. 4. 17.

